



16



36
 MEDICATIO DUARUM MULIERUM,
 QUARUM UNA
 ODONTALGIA,
 ALTERA
 CARDIALGIA
 LABORAT:

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ

Ac Botanices Professoris Ordinarii, ac

Philosophi eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

FERDINANDUS GRUIWARDUS Goesâ-Zeland.

Ad diem 1. Iunij, horâ 10. matutinâ in auditorio solito.



TRAIECTI AD RHENVUM,

TYPIS Theodori ab Ackersdijck, & Gisberti à Zjll,

c l o l o c l .

Amplissimo, Spectatissimo Iuveni-Viro,

D. HIERONYMO GRUIWARDO, J. U. Doct.
Insulæ Goefanæ Judici Delagato fidelissimo; Germano, Patris
loco colendo.

NEC NON

Excellentissimo, Gravissimo, ac Illustri Viro,

D. D. JOHANNI VANDER STRINGEN;
quondam Camera rationum Comitatus Zeelandiæ Consiliario,
nunc ejusdem Comitatus Aerarii publici Quæstori Generali,
Cognato venerando.

UT ET

Celeberrimo, Eruditissimo, multaque experientia Clarissimo Viro,

D. HENRICO REGIO; Medico expertissi-
mo; Philosopho acutissimo; Reipub. Ultrajectinæ POLIATRO,
Medicinæ ac Botanices Professore meritissimo, Præsidi & Præcep-
tori industrio, summo honoris titulo prosequendo.

DENIQUE

Eruditione Præstanti Iuveni-Viro

D. CORNELIO VAN SON, Amico con-
junctissimo, ac in eadem studiorum palæstra commilitoni inte-
gerrimo.

Hoc Medicum quaecunque exercitium

Amore, more, ore, re

S. D. D. D. C.

FERDINANDUS GRUIWARDUS.

MEDICATIO MULIERIS
 O D O N T A L G I A
 L A B O R A N T I S.

I.



Uliet 28. annorum, plethorica, postquam aëri frigido & ventoso se imprudenter exposuisset, incidit in ingentem dentium, inferioris maxillæ sinistrum latus occupantium, dolorem; qui ipsam pene ad insaniam redigit. Usa fuit, purgatione universali neglectâ, variis remediis localibus calidis, dentibus & malæ ejusdem lateris adhibitis: unde multa quidem pituita ex ore fluxit, sed sine ullo doloris levamine. Faciem supra modum tumidam & rubram habet.

II.

Partes affectæ ex querela ægræ sunt manifestæ; nempe dentes in inferiori maxilla sinistri lateris: uti & *mala sinistra*; quod ex ejus rubore & tumore patet.

III.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies dentium inferioris maxillæ serosa, cum tumore malæ conjuncta, quæ ingentem dolorem in iis excitans, à molesto hoc symptomate, *dolor dentium* latinè, & *odontalgia* græcè appellari solet.

IV.

Causa procatartica hujus morbi est aër frigidus & ventosus, cui ægra nostra imprudenter sese exposuit. Inde enim pori corporis fuerunt constricti, & transpiratio justa impedita, humoresque serosi totius corporis, qui *antecedens* hujus morbi sunt causa, à reliquo sanguine separati, ac partim ad caput delati, ibique ad nervos dentium inferioris sinistræ maxillæ, tum forte debiliores, pro lapsi, ac ab intempestivis topicis calidis copiosius eò prælecti, eos acrimoniâ suâ rodendo, & copiâ sua distendendo, *continens* hujus morbi gravissimique symptomatis sunt causa.

A 2

V. Pe-

V.

Periculosus hic est affectus, propter doloris vehementiam; qui nonnullos ad vim sibi inferendam adegit.

VI.

Ideoque diligenti & celeri *curatione* erit impugnandus; quæ in causæ antecedentis, & intemperiei, dolorisque ablatione consistet.

VII.

Mox itaque vena aperiatur, & sanguis, liberaliter educatur, & sub vesperam cucurbitulæ scapulis cum scarificatione adhibeantur; postridie purgetur tali purgante medicamento:

Rx. diacathol. ʒ vj. diaprunis ʒ ij.
dissolve in aq. cichorij q. s. F. Haustus brevis,
aliquoties, si necessitas urgeat, reiterandus.

Ubi corpus bene purgatum fuerit, utatur hoc masticatorio:

Rx. staphid. agræ, mastiches an. ʒ j.
sem. hyosciami ʒ j.

fiant cum linteo raro globuli masticatorii, No. ij. quorum
unum post alterum mastiget, pituitamque ex ore eliciat.

vel *Rx.* ol. ex charta combusta collecti gutt. j.
olei mari syriac. gutt. ij.

cum cotone F. pupellæ No. ij. denti cavo inserenda.

Maxillam exterius inungat oleo camomillor. & liliaceo.

Temporibus sinistris imponendum emplastrum ex gummi tamahaca, mastiche, myrrha, gummi elemi, ad defluxum humorum impediendum.

VIII.

Si ob doloris vehementiam perseverantem majus periculum metuatur, narcotica usurpentur, quale hoc est:

Rx. philonii romani ʒ j.
opij gr. vj. ol. vitrioli gr. v. misce, ex mixtura
hac aliquid dentibus dolentibus cum bombace
applicetur.

Vel tale balsamum cum cotone adhibeatur:

Rx. opij thebaici
spec. diambra an. ʒ j.
camphoræ gr. iiij.

cariophyllor.

Fol. 146.

A N N E X A
 RESPONDENTIS SENTENTIA
 D E
 S A N G U I N I S C I R C U I T U .

F*elix* Medicina ob *summis laudibus celebrandam sanguinis circulationem, hoc seculo à GULIELMO HARVEO, Anglo, Serenissimæ Majestatis Regiæ, dum viveret, Archiatro, in collegio Medicorum Londinensium Anatomes & Chirurgiæ Professore, omnium, quotquot sunt hujus seculi Anatomicorum facile Principe & Coryphæo, quotidiana sua cadaverum autopsiâ & anatomiâ quam felicissime inventam. Nullus tamen propemodum exstitit dies, ab ejusdem natali, nec minutissimum decursi temporis spatium, in quo non bene & malè multa de eadem audiuntur: alii enim tenellum infantem convitiis lacerant, tanquam luce indignum; alii vero alendum fœtum dejudicant; illi magno cum fastidio oppugnant, hi ingenti cum applausu patrocinantur: horum favori & patrocinio subscribentes (cum doctissimorum Virorum & antiquitatis reverentia) credulitati illorum relicta sanguinis in Epate confectio-
 ne, & rejecta ab eodem per venas distributione, in corde, caloris nativi Anthrace & vitæ nostræ principio, verè aimatoseos perfectionem asseveramus. Alimentum enim dentium molitione preparatū, vetriculi beneficio chylificatum, ex eodem per venas gastricas; & ex intestinis post alvi excrementorum secretionem per venas mesaraicas, lacteas, in epar. pancreas, & lienem propulsū, ibidemque ex tempestiva mora chymificatum, tandem ultimam sanguinis purpurascens perfectionem adepturum. per truncum venæ cavæ, ipsius cordis thalamos ingreditur, & pri-*

*

mo

mo per auriculam ejusdem lateris dextram, ibique ex requisita necessitate rubefactum, regressum per eandem venam tribus valvulis tricuspibus impredientibus (ea enim est fabrica harum valvularum (ut Cartesius in epistola quadam ad Beverovicum annotat) ut ex solo sanguinis impetu hæc aperiantur ille claudantur), per venam arteriosam, ut commodum refrigerium instituat, in pulmones diffunditur, deinde impedimento trium valvularum semilunarium arterie pulmonariae, in sinistrum cordis thalamum per venam pulmonariam defertur, & ab ejusdem calore, per subtilissimam materiam omnia penetrantem excitato, in perfectam sanguinis massam commutatum, tandem mitralibus valvulis reditum per venam modo dictam in pulmones avertentibus, sui rarefactione, & spirituum animalium ex nervo sextæ conjugationis in fibras cordis influentium, pressione, per arterias in totum corpus diffunditur, & suppeditato cuique parti alimento, tandem reliquum per venas continuas ad cor repellitur. Pro hujus indubitatae veritatis fulcramento tres præcipue argumentorum classes habemus militantes; unam, de promptâ ab ingenti sanguinis copia ex corde perpetuò in arterias effusâ (testatur enim post alios D. Walæus in epistola ad C. Bartholinum, se per *bulo flav* expertum fuisse è corde cuniculi singulis pulsibus semi-dragmam effluxisse, & è corde majoris canis aquatici semi-unciam). Alteram, petitam ex valvulis in venis jugularibus, mesaraicis, emulgentibus, vena azygo, ductu splenico, ramis subclaviis, iliacis & multis aliis existentibus talem situm obtinentibus, ut sanguini à partibus ad cor commodum, nullum vero à corde ad partes tendenti transitum præbeant. Tertiam, manifestam ex ligaturis, sæpius à Clarissimo HARVEO (ut apparet in epistola ad Riolanum de circulatione sanguinis), cui soli hujus novitatis inventio debetur, per vivorum animalium anatonem vasorum tunicis injectis. Si
enim

enim ligaturam adhiberet venis quibuscunque, semper intumescenti erat inter partes & ligaturam; si arteriis, inter cor & ligaturam: quod etiam chirurgi quotidiana sua venæsectione experiuntur, cum quatuor digitorum circiter spatium supra locum, in quo vena aperienda, versus venæ radicem vinculum injiciunt, ut sanguine ab arteriis per venas in illum locum compulso & impedito vena tumentior appareat: Cui Beverovicus multis in locis, & præcipue lib. de Calc. cap. I. & thesau. de infirma valetudine multis à venæsectione de sumptis argumentis subscribit. Hic circuitus ut ex sui impedimento, vel perversione, vel nimia concitatione facilem nobis demonstrat viam ad inquirenda apostemata, varices, tumores, phlegmones, hæmorrhoides, hæmorrhagias, aneurismata, sarcosés, fluxiones, suffocationes subitaneas, asthma, Apoplexias; sic etiam ad multa alia morborum genera eorumque symptomata admiranda recte intelligenda patentissimam januam aperit.

C O R O L L A R I A.

- I. **G**eneratio fætus fit a solo feminis & uteri requisito calore, illiusque particularum insensibilitum, debito modo dispositarum, agitatione.
- II. Reluctamur quorundam opinioni, Catalepticos à vapore, spiritus cerebri & totius corporis congelante, originem deducenti.
- III. Venam diaphragmaticam pus in empyemate ad renes deferentem non admittimus.
- IV. Illam Vulgarem medicorum opinionem, variolas & morbillos semper à sanguine menstruo materno originem deducere asseverantem, cum Fern. lib. 2. de abd. rer. caus. c. 12. rejicimus.
- V. Amnii & Chorii intercapedinem humani fætus urinam colligere nexus illarum tunicarum prohibet.
- VI. Ratio, quare sermonem proprium externa aurium cavitate obstructa percipiamus, est, quia à tympano ad palatum meatus patet,

- patet, per quem veluti excitatus in ore sonus aurem subit.
- VII. Docet experientia, quod gravidis plethoricis venam ante quintum mensem incidere liceat.
- VIII. Vaccas tauris castratis admissas sæpius concepisse? *Affir.*
- IX. Sanguine per phlebotomiam educto somnum male prohiberi asseveramus.

E P I G R A M M A

A D

Eruditum Iuvenem-Virum

FERDINANDUM GRUIWARDUM

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Medici expertissimi Reip. Ultraject. POLIATRI;

Medicinæ ac Botanices Professoris Ordinarii,

Philosophi acutissimi.

D E

ODONTALGIA AC CARDIALGIA

Ingenue Disputantem.



Ordescunt Veterum tenebrę: Medecina-

que gaudet

Lumine; quippe novâ REGIA luce micat.

Hanc facilem GRUIWARDUS avet pene-

trare medelam,

Dogmata dum referat REGIA, REGIS ope.

C A N E B A T

Amico suo integerrimo

CORNELIUS VAN SON

Med. Stud.

fol. 148.

ol. nuc. muschata expressi ꝰ j.
 ol. cariophyllor. gutt. viij. F. mixtura ad formam
 balsami.

IX.

Dolore sopito, post opiatorum usum, os eluatur decocto salviæ,
 rorismarini, majoranæ, hyssopi; ut opii noxa corrigatur.

His nihil proficientibus, dens cavus est extrahendus.

X.

In diata aër sit temperatus; cibus parcus, mollis; potus, cerevi-
 sia tenuis; alvus sit lubrica; quies motui præferenda; vitet curas.

M E D I C A T I O P U E L L Æ
 C A R D I A L G I A
 L A B O R A N T I S.

I.



Uella viginti annorum, jam à multis annis, de ro-
 sione & compressione circa ventriculi regionem
 conqueritur: ructus continuo edit acidos, in hypo-
 chondriis murmura & rugitus audiuntur: tormini-
 bus ventris frequentibus & dolore capitis infesta-
 tur. Colore est pallido & cachectico, mensesque
 non decenter fluunt.

II.

Afficitur in hac ægra *ventriculus*; ut patet ex rosione & compres-
 sione circa ejus regionē perceptâ, & ructibus acidis emissis. Afficiū-
 tur itē viscera, *hepar* sc. & *lien* in hypochondriis sita, nec non *intestina*
 & *caput*; quod probant murmura in hypochōdriis audita, & tormina
 ventris, ac dolor caput infestans. Denique *totum corporis habitum*
 & *uterum* affici, testatur pallidus & cohecticus color, & menses
 non decenter sive parcius & inordinate, fluentes.

B 3

III. Mor-

III.

Morbus præcipuus, qui ægram nostram affligit, est intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida & acida; quæ rosionem, & compressionem ventriculi, ac ructus acidus; item murmura hypochondriorum & rugitus ac ventris tormina pariens, Cardialgia sive cordis dolor vulgò appellari solet: sed vètriculi dolor meritò est appellandus; cum hic non cor, sed ventriculus præcipue afficiatur.

IV.

Hæc intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida & acida est manifesta ex acidis ructibus & rosionibus atque compressionibus circa ventriculi regionem perceptis. Illa enim producit acidum & crudum chylum, qui ventriculum pungit & constringit; & quia ex eo oriuntur obstructions in variis partibus, crassique succi & vapores, hinc nata sunt omnia illa symptomata, quæ in casu proposito narrantur.

V.

Nam chylus ille crudus, acrimoniâ & acerbitate suâ pungens, ventriculum, facit in eo *dolores rosivos & constrictorios*. In vapores crassos mutatus, qui ob crassitiem suam commode per poros ventriculi & intestinorum distribui nequeunt, facit *ractuum acidorum excretionem*, & per vicina viscera discurrendo, & partes eas cum sonitu agitando, & dolorose ventrem vel tunicas intestinorum lancinando, facit *in hypochondriis rugitus, & in ventre tormina*. Ad cor verò per venas mesaraicas & inde in caput delatus, & ibidem cerebrum & membranas vellicans, efficit *capitis dolorem*. Ad habitum vero corporis cum sanguine crudo delatus, facit *colorem pallidum & cachecticum*. Ad uterum denique delatus, ibique poros ejus obstruendo, sanguinemque ad commodam excretionem ineptum faciendo, facit *mensium parcam & inordinatam excretionem*.

VI.

Morbus hic propter magna symptomata, quæ inducit, periculum lipothymix, hydropis, aliorumque gravium affectuum, minatur. Atque ideo diligenti & cita curatione erit impugnandus.

VII.

Quæ in intemperiei & symptomatum per contraria impugnatione consistet.

VIII. Pri-

VIII.

Primò itaque utatur talibus pilulis usualibus, quæ leviter purgabant, ventriculumque roborabant:

Rz. pil. de hiera simpl. ʒj. β. alephanginar. assajereth, agarici trochisc. an. ʒj. rabarb. elect. ʒ β. cinamomi ʒj. cum syr. ros. sol. q. s. fiat pilularum massa, de qua capiat singulis septimanis ʒ β. cum pomo cocto, mane jejuno ventriculo.

Et deinde porro utatur hoc electuario:

Rz. conserv. rosar. antiq., flor. cichorij an. ʒj. conserv. scolopendr. cort. citri condit. an. ʒ β. spec. aromat. ros. ʒ iiij. spec. de gemmis ʒj. spec. diatria santalini, duplicato rabarb. ʒj. cineris intestinorum & pellicular. ventriculi gallinae ʒj. β.

limatura chalibis preparat. cum aceto ʒ β. trochiscor. de rabarb. ʒ iiij. de eupatorio ʒj. β. cum syr. de menta q. s. F. electuarium, de quo capiat quantitatem castaneae majoris, mane duabus horis ante prandium, superbibendo haustum vini generosi, aq. absinthii diluti.

Post singulos pastus utatur de hoc medicamento:

Rz. carniū cydon. saccaro condit. ʒ ij. conserv. rosar. antiquae ʒj. β. cortic. citri condit. ʒ β. coralli rubri usti & loti rasura eboris, cornu cervi an. ʒj. spec. diacydon. sine spec. ʒj. cinnamomi ʒ β., saccari ad pondus omnium, f. mixtura, de quo capiat cochleare unum post singulos pastus.

Ventriculi regioni scutum hoc stomachale admoveat:

Rz. emplastri de mastiche, pro stomacho an ʒj.

pul-

pulver. rad. galanga ℥iij. gariophyllor. ℥β.
ladani ℥j. coralli rubri ℥β.
cum ol. de absinth. F. emplastrum extensum
in corio ad formam scuti.

Hepatis regionem semper mane inungat hoc linimento:

℞. ol. de absintio, nardini an. ℥ij. ol. cydon. ℥j.
spic. utriusque ℥j. rad. cyperi, asari, santali rubr. & albi.
an ℥β.
cera q. s. F. linimentum.

IX.

In *dieta aër* sit temperatus. *Cibus* offeratur concoctu facilis, corruptioni minus obruxius, ex aviculis, capis, perdicibus, pullis galinaceis, jusculis cernium; conditus sacco arantiorum. *Potus* sit vinum tenue, cerevisia mediocris. *Motus* sit corporis moderatus, ut & somnus. *Alvus* indies natura vel arte respondeat. *Mæror* vitetur præcipue, ut & alii vehementores affectus.

fol. 144.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



Sl





A R I A.

guinis.
vel in excernendo, partium attractione.
nia ac quidvis ex inspectione urinae col-

one secundum Aquapendentem, lib. 1.
fieri sectio in parte mortua, usque ad vi-
tuali cauterio urendo: an vero secundum
os in parte viva? Aff. pr. Neg. post.
culam purgationem exhibere ex Manna.

liceat? Aff.
sed tota ars medica.

I S.



36
MEDICATIO DUARUM MULIERUM,
QUARUM UNA

ODONTALGIA,

ALTERA

CARDIALGIA

LABORAT:

QVAM,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ

Ac Botanices Professoris Ordinarii, ac

Philosophi eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

FERDINANDUS GRUIWARDUS Goesâ-Zeland.

Ad diem 1. Iunii, horâ 10. matutinâ in auditorio solito.



MINERVA TRAIECTINA

TRAIECTI AD RHENVM,

TYPIS Theodori ab Ackersdyck, & Gisberti à Zjyll,

c l o c l c l